



B. C. D.
DISSESSATIO JURIDICA INAUGURALIS,
^{DE}
**SENSU LEGIS
DECEMVIRALIS
TESTAMENTARIÆ,**

Quam
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO
DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPES BORUSSIE, MARCHIONE BRANDENBUR-
GICO, AC DUCATUS MAGDEBURGICI GUBERNA-
TORE, &c. &c.

IN HAC REGIA FRIDERICIANA,
P R A E S I D E
Dn. CHRISTIANO THOMASIO,
JCTO, S. REG. MAJ. BORUSS. CONSIL. ET PROF.
PUBL. h. t. DECANO,
PRO LICENTIA

Suntmos in utroque Jure honores ac Privi-
legia Doctoralia rite capessendi,
IN AUDITORIO MAJORI
publicæ Eruditorum Examini submittit
LUDOV. CHRISTOPH. SCHEFFER,

Cissellanus Hasflus.

Ad d. V. Sept. An. MDCCV. Horis ante 8° pomeridianis.

HALÆ, Typis CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, Acad. Typogr.



SUMMARIA.

UTilitas inquisitionis in intellectum legis XII. Tabularum. 1. Cur id in materia testamentaria à JCis non ex merito factum sit. 2. Verba legis decemviralis & methodus dicendorum. 3. Testamenta per as & libram diu in usu fuere etiam sub Imperatoribus. 4. Incertitudo de origine præteriorum, 5. & nuncupativorum. 6. Summa solennitatum in testamento per as & libram 7. Libripens. Mancipationum quarumvis solennitas. 8. Non ex lege XII. Tabularum sed ex JCorum præscriptione dependere numerum quinque testium in testamentis & quibusvis mancipationibus. 9. Ratio cur in testamento voluerint mancipationem, qui alias esset actus inter vivos, intervenire. 10. Cur quinque testes voluerint adesse. 11. Quid significaverit illis temporibus phrasis, cum quibus testamentis factio est. 12. Ostenditur denotasse nil aliud, quam, quæ possunt in calatis comitiis comparere. 13. Ergo rationem esse evidenter cur mulier non posset esse testis, 14. cur pupillus, furiosus, mutus & surdus non posset, cœcum posset, 15. item cur servus, peregrinus, Latinus, deditius non possent esse testes. 16. Exceptions à regula I. ex natura rei nemo testis in propria causa: E. nec qui in potestate testatoris vel familie emtoris essent. 17. II. In panam talionis, intestabilis dicti. Quinam fuerint intestabiles, & iustitia exceptionis 18. 19. Mancipationis testamentaria formula 20. Ratio conjuncte mancipationis & quinque testium. Mancipatio testamentaria quo sensu sit imaginaria venditio. 21. Nuncupationis testamentaria formula genuina & spuria. 22. Inquisitio in circumstantias reliquas solennitatis testamentariae à JCis non memoratas. 23. Testamentum per as & libram erat mysticum & scriptum, non nuncupativum. 24. Et cur, cum in calatis comitiis fuerit nuncupativum. 25. 26. Error eorum, qui originem testamenti nuncupativi ex LL. XII. Tabb. deducunt. 28. Verior origo nuncupativorum. 28. Theophilis doctrina, quod olim familia emtor ipse heres fuerit, & qua ratione id sit mutatum, 29. rejecta, paulo aliter tamen ac communiter fieri solet. 30. An heres olim potuerit esse testis? 31. Potuisse etiam si non fuerit occultus. Emblema Triboniani. 32. Error communis quasi

quasi Praetor loco quinque testium septem, & eorum subscriptionem invenerit. 33. Ostenditur evidenter & septem testes & subscriptionem eorum dicitur ante Edictum Praetoris & mox post introductum testamentum per alios & libram in usum fuisse. 34. Praetorem in Edicto suo nihil novi introduxit quod solemnia, sed omnia secundum legem decemviralem ritu facta esse supposuisse. 35. Testamenta per eos & libram vero similiter durarunt usque ad tempora Christianorum Imperatorum. 36. Plutarchi censura de testamentis illis non recte intellecta. 37. Quinam testamenta facere potuerint ex Lege Decemvirali. 38. Quinam non potuerint, ex fragm. Iuliani. 39. Primaria & principali ratio, cur non potuerint mutui, surdi & cur potuerint coeui & furiosus tempore intervalli. 40. Cœci iisdem solennitatibus testabatur atque videns. Quid inter sit genuinam rationem indagare ostensum in quaestione de muti & surdi testamentis. 41. Item de testamentis prodigorum. 42. 43. Prodigos etiam non potuisse testes esse in testamento. 44. Femina an olim potuerit testamentum condere? Res dubia & intricata. 45. Probatur perspicue, non potuisse. 46. Cur & quando postea fuerit admissa. 47. An femina potuerint testamentum scriptum condere. 48. Filius familiæ cur testamentum facere non potuerit. 49. Caterum testamentum jam olim facere potuerunt non nobiles solum, sed & plebeji. 50. Heredes leges Decemvirali poterant institui, qui testamenti factionem cum testatore habent. 51. Ergo non poterant peregrini, servi, impubres, muti, surdi, furiosi, prodigi, intestabiles, feminae. Poterat filius familiæ. 52. Cur hic non sit respendendum ad testimonia. 53. Qui olim in Comitiis non poterant comparere impediabantur vel facto vel jure. Qui facto impediabantur, ut impubes, muti, surdi, furiosus, prodigi cur mox sunt admisi ut heredes fierent. 54. Ex his qui jure impediabantur cur & quando servi incapient heredes institui. 55. Ostenditur feminas tempore legis decemviralis non potuisse heredes institui, cum nec legitimi essent heredes. 56. Igitur laetissimam potestatem de qua Pomponius, consistere in actibus testandi & legendi. 57. Idque declaratus intuitu heredis institutionis 58. que de forma essentiali testamenti erat, item substitutionis, 59. exhereditationis, præteritionis 60. (Posthumum tamen alienum ab initio non potuisse institui 61. bene tamen suum. Regula de heredum institutione limitanda in legitimis. 62.) item intuitu potestatis legendi. 63. Ortus regula: nemini posse succidi parvum ex testamento, partim ab intestato. 64.

SENSUS



B. C. D.

SENSUS LEGIS DECEMVIRALIS TESTAMENTARIÆ.

§. I.

Unt Leges XII. Tabularum fons Juris Romanii, ut fatentur omnes. Ut ergo dolendum est, quod ipsæ leges hæc non amplius exstent, nisi quod laudissimo conatu Balduinus, Hottomannus, Rævardus, Rittershusius aliqui fragmenta earum ex tenebris vetustatis eruere, Jacobus autem Gostfredus in ordinem ea redigere tentaverint; ita etiam puto genuinum Juris Romani interpretem non melius posse exponere leges Juris Romani, quam si rationes legum Decemviralium probè teneat, ac postea monstret, quæ occasione, quâve ex ratione mores subsequentes vel leges ab instituto Decemvirali recesserint.

§. II.

Quare mirandum, quod cum successio testamentaria sit haud dubie maximè practica, hic tamen tam pauca fuerint annotata à Scriptoribus. De Pragmaticis equidem non loquor, utpote qui de rationibus legum & antiquitatibus

A

tibus

2 SENSUS LEGIS DECEMVIRALIS

tibus parum sunt solliciti. Etiam qui humanioribus literis & Philosophiae operam dedere paucissima annotarunt ad legem Decemviralem testamentariam. a) Imo ipsi Icti Romani ex quorum scriptis Pandectæ collectæ sunt, hic non semper rem acu tetigerunt; b) sive quod Icti qui primi de lege XII. Tabularum ejusque sensu ac usu forensi disputabant ac ita jus civile efficiebant c) ignorarent quænam fuerit in legibus his condendis Decemvirorum intentio d) sive quod ipsi pro moribus eorum temporum destituerent studii liberalibus & prudentiâ civili. e) At Icti subsequentium temporum nimis remoti erant ab a. v. o. LL. XII. Tabb. & studium antiquitatum subinde negligebant, vel etiam subsidiis destituebantur aut tempore inquirendi cum fructu. f) Ergo mihi, credo, nemo vitio vertet, si in rem antiqua & incerta non ubique rem acu tetigero, quamvis operam datus sim, ut non studio fallam vel decipiatur ipse.

a) vid. Commentatores ad l. 120. de P. S. (ubi est sedes materiae)
Alciatum, Brechæum, Fornerium, Wissenbachium: Et quos modo memeravimus Commentatores ad LL. XII. Tabb. inter quos Balduinus ferè diligenter fuit.

b) Exempla dabimus infra v. g. §. 45.

c) l. 2. §. 5. d. O. 7.

d) quem forte ipsi Decemviri ignorabant per ea quæ dixit Dn. Praes de novis Jurispr. Antejefflin. l. 1. c. 2. novo 3. - Adde quod Decemvirorum Tyrannis mox iterum extincta Liv. l. 3. Dion. Halic. lib. 2.

e) Nondum enim florebant apud Romanos bona studia & artes liberales conf. Dn. Praes. d. f. in Differ. adj. de novis Jurispr. obs. 2. §. 6. p. 167. & obs. j. §. 1. p. 165.

f) Neque enim omnes habebant bibliothecas satis instrutas, ob defectum typographiæ. Multi erant in officiis publicis iisque gravioribus.

§. III. Va-

TESTAMENTARIA.

§. III.

Varie à variis recensentur verba legis Decemviralis. g)
Vero simile est ita fuisse concepta: *Paterfamilias uti legasset super pecuniā tutelae sue reitatus est. b)* Atque his verbis Pomponius dicit latissimam potestaten tributam vide ri & hæredis instituendi & legata ac libertates dandi, tute las quoque constituendi, donec id interpretatione coangustatum fuerit vel legum vel autoritate jura constituentium. i) Videtur tota disceptatio commodissimè posse ad quatuor capita referri, ut ostendatur quis potuerit testa menta condere, cui bona relinquiri porquerint, quinam actus hac lege concessi fuerint, & denique quā formā vel solennitate testamenta fuerint primis temporibus post LL. XII. Tabb. condenda. Quanvis verò hæc quæstio secundum ordinem naturæ videbatur sibi ultimum locum postulare, hic tamen mihi licebit ab ea incipere, partim quia quæ hic definienda erunt & nullum fere dubium habent, viam pandunt ad solvenda difficilia ora dubia in quæstionibus reliquis occurrentia, partim quia sic melius connectitur discursus præsens cum his quæ alia occasione de primis initiis successionis testamentariæ Romanæ dicta sunt. l)

g) loca illa varia colligit Franciscus Bald. ad LL. XII. Tabb. cap. 29.
p. m. ms. conf. Jac. Gothofred. lib. 3. § 4. ad Tab. 5.

b) Bald. d. i. Jac. Gothofr. ad Tab. 8.

i) d. l. 120. d. V S.

l) pecul. dissert. sub Dn. Præside mense Junio hujus anni defensa.

§. IV.

Ostensum autem ibidem m) fuit testamenta quæ legi XII. Tabularum ortum debent nulla fuisse alia quam testa menta per æs & libram, & cum non injucundum fuerit, inquisivisse in naturam testatorum, quæ olim in calatis

4 SENSUS LEGIS DECEMVIRALIS
Comitiis ac in procinctu siebant n) longe utilius erit de hoc
genere restandi paulo curiosorem esse, cum id diutissime
duravit non solum sub libera, quæ dicitur, republica,
sed & postquam Augustus & Tiberius summam rei ad unum
iterum transtulerant o) & ejus ritus expositio viam panderet
etiam ad rectius intelligendum Jus Justinianum. p)

m) §. 30. seq.

n) d. differt. §. 5. seq.

o) diutius permanuisse hoc testamentum fatur ipse Imperator §.
1. d. Testam. Ord. Suetonius c. 4. d. via Neronis narrat Domini-
tum fuisse familie emptorem in testamento Augusti. Fra-
gmentum Ulpiani testatur adhuc ejus tempore fuisse in usu hæc
testamenta.

p) v. gr. cur mulier non posset esse testis in testamento, de quo
infra §. 13. cur septem testes in testamento adesse debeant &c.

§. V.

Imò solum diu in usu fuit. Nam prætoria testamen-
ta diu post videntur cepisse. Idem de nuncupativis di-
cendum. Quanquam incertum sit quando hæc duo orta
sint. Si Ulpiani verba captare quis vellet, adhuc ejus tem-
pore testameta per æs & libram sola suæ in usu. q)
Sed tamen disertè hic alibi mentionem facit testamenti septem
testium signis signati, cujus intuitu Prætor dabat bo-
norum possessionem. r) Video ab aliis citari locum ex
Quintiliiani Institutionibus, quasi hic scriperit non esse
pro testamentis habeuda ubi libripens non affuerit. s)
Ergo saltem primis Imperatorum temporibus Præ-
toria fuissent incognita. t) Sed non videtur verosimile
Prætoria testamenta sub Imperatoribus initia sumuisse. Vix
enim videntur Imperatores de authoritate sua valde solliciti
permisuri fuisse Prætoribus, ut anplius sub larvis fictionum
& fictorum nominum potestatem jura recepta corrigendi &
mutan-

TESTAMENTARIE.

mutandi sibi arrogarent. Ergo necesse est invaluisse jam sub republica libera & alium esse sensum verborum Quintiliani. Neque dubitare nos amplius ea de re finit locus Ciceronis quem infra tr) examinabimus.

q] Ulp. Fr. ign. tit. 20. § 2. Illis duobus testamentis abolutis bode solum in ista est quid per es & liberam sit. Sed intellige ex contextu: Solum ex illis tribus.

r] Tit. 23. §. 6.

s] Zach. Huberus dissert. d. Testam. Jul. Ces. p. 126. Sic verba Quintiliani citat. Non dixerim testamentum cui libri pen & empor familie & cetera juri necessaria deerunt. Sed istum locum invenire non posui, cum specialiter indicatus non sit.

t] Vixit enim Quintilianus & floruit post Neronem. Quenstedt de patriis illustr. viror. p. 24.

tt] Infra §. 33; ubi describemus locum ex l. i. in Verrem cap. 45.

§ VI.

Nuncupativa testamenta quod attinet prima fronte videri posset ea demum sub Imperatoribus fuisse cognita, & forte Horatium ei rei occasionem dedisse, de quo Suetonius memorat, u) quod hæredem Augustum palam nuncupaverit, cum urgente vi valetudinis non sufficeret ad obsignandas testamenti tabulas. Resert enim hoc Suetonius tanquam singulare quid, & quod Horatius fecerit magis ex necessitate quam ex valetudine. Sed quod hac conjectura non obstante nuncupatio hæredis & antea non fuerit Romanis incognita, docet iterum Cicero, se in testamento Cyri cujusdam cum Clodio hæredes palam esse scriptos asserens. uu) Neque tamen conjectura illa planè erit negligenda, cum Horatius nuncupaverit nec signaverit, quod tamen fecerat Cyrus ille. Illud certum est Pauli & Ulpiani tempore jam fuisse in usu x) testamenta nuncupativa.

u) in ejus vita circa finem.

A 3

uu) Ora-

uu) Oratione pro Milone e. 18. Cyrum Clodius Roma proficiscens reliquerat morientem. Una fui. Testamentum simul obsignavi cum Cladio. Testamentum autem palam fecerat, & illum heredem & me scripsit.

x) l. 21. pr. qui testam. fac. poss. l. 58. d. hered. instit. quarum illa Ulpiani, hæc Pauli est. Quanquam in Instit. Ulpiani & recept. sentent. Pauli nulla earum fiat mentio.

§. VII.

Consistebant vero summatis solennitates hujus testamenti in eo, quod testator paterfamilias coram quinque testibus cum quibus testamenti factio esset & libripende & familiae emptore huic familiam manciparet, & testamentum solenni modo nuncuparet, y) id est si rem magis ad sicutis verbis efferre volumus, vendebat testator hereditatem suam coram quinque testibus emtori familiae sed imaginaaria saltem venditione, cum familiae emtor non fieret heres, nisi in testamento nuncupatus esset. Non tamen poterimus rationem harum solennitatum & prudentiam J. Ctorum qui hunc modum invenerunt, intelligere, nisi singulis capitibus earum distinctius expensis.

x) Ulpianus Tit. 20.

§. VIII.

Libripens jam sub Regibus fuit, cum pecunia in venditionibus & mancationibus appenderetur. z) Mancipatio erat propria species alienationis rerum mancipi, & omnis siebat certis verbis libripende & quinque testibus praesentibus. Res mancipi autem erant prædia in solo Italicō, tam rustica quam urbana. Item jura prædiorum rusticorum; item servi & quadrupedes quæ dorso colloventur, exceptis elephantis & camelis. a) Erat vero hæc mancipatio proprius modus civium Romanorum, sine quo res mancipi alienari non poterant. Unde in genere eam

TESTAMENTARIE.

eam hoc intuitu Cajus appellat imaginariam venditionem,
eamque pariter ex eadem Lege XII. Tabularum descendit
observat. Verborum solennitas in eo consistebat, ut
præsentibus non minus quam quinque testibus, Romanis
civibus, puberibus & præterea alio ejusdem conditionis,
qui libram æneam tenebat, is, qui mancipio accipiebat
æs tenens ita dicebat: *Hunc ego hominem ex jure Quiritium
meum esse ajo, isque mibi emtus est hoc are æneaque libra.*
Deinde ære percutiebat libram, indeque æs dabat ei, à quo
mancipio accipiebat quasi pretii loco. b)

z) vide quæ iam adduxit Dn. Präf. in *dissert. de primis initio suc-*
ciss. testam. Rom. §. 33.

4) Ulpianus *Tit. 29. §. 1. & 3.*

6) Gajus *libro 1. Instit.* quod ejus fragmentum conservavit Boetius
in lib. 3. Topic. aristot.

§. IX.

Afferit equidem Gajus, lege XII. Tabularum res
mancipi aliter quam hac solennitate c) alienari nequivisse.
Quod si esset, fortè difficillimum foret, rationem suppe-
ditare cur quinque testes præcise in serum mancipi aliena-
tione fuerint requisiti. Sed si accuratius rem perpendas,
in fragmentis legum XII. Tabb. nihil de hac solennitate,
qualem nec ullam lex Decemviralis introduxit. Id saltem
in lege Decemvrali positum. *Quum nexum faciet, man-*
cipiunque, uti lingua nuncupasse, ita jus esto. Ergo Gaji
mens est, ex Lege XII. Tabularum non licere res manci-
pi alienare citra nexus & mancipium. Solennitates verò
ipsæ inventum JCTorum erant. d) Hi vero eandem quam
in solennitate Testamentaria semel posuerant, & in reli-
quis mancipiationibus adhiberi debere voluerunt, ergo o-
pus est, ut de hujus ratione præprimis simus solliciti.

c) ea enim sunt Gaji verba prout Boetius ea adducit.

d) Jac.

SENSUS LEGIS DECEMVIRALIS

8 d) Jac. Gothofred. in notis ad Tab. 6. p. 210. d. Disp. Dn. Præsid.
ibid. 37.

§. X.

Ergo quod solenni mancipatione, qui alias erat actus
inter vivos, vellent testamenta fieri, ideo factum videtur.
Cum viderent jus testamenti faciendi, quod alias in testa-
mentis quæ in calatis Comitiis fiebant dependebat à vo-
luntate populi e) per Decemviro translatum esse in arbi-
trium privati, voluerunt his solennitatibus rem ita
temperare, ut saltem umbram aliquam rationis communis
& morum veterum retinerent. Vult autem ratio com-
munis, ut quæ quis alienare vult cum effectu id faciat per
actum inter vivos. f)

e) d. disp. §. 9.

f) vid. all. disp. Dn. Præsid. d. orig. success. testam. §. 9.

§. XI.

Quod autem voluerint quinque testes præsentes esse
in hac mancipatione, haud dubie ideo factum fuit, ut illi
quinque testes populum repræsentarent coram quo in ca-
latis Comitiis antea testamenta fiebant. Nam populus
Romanus in quinque classes g) à Servio Tullio erat divi-
sus, non in quinque tribus, ut alii volunt. Quæ con-
tra hanc opinionem disputat Vinnius levia sunt, quibusjam
satisfactum ab Hubero. h)

g) Nam in sexta erant proletarii qui censu & capite carebant ac
nullo habebantur numero.

h) quem vide lib. 4. digress. c. 32. ubi citantur plures autores ad in-
tellectum hujus paragraphi pertinentes.

§. XII.

Atque ea ratio multo magis corroboratur, si quis
consideret, quænam fuerint requisita testium in testamen-
to per æs & libram, adhibendorum. Ait Ulpianus testes
adhi-

TESTAMENTARIE.

adhibendos esse cum quibus testamenti factio est i) idemque repetitum à Justiniano. /) Sed alius plane effectus horum verborum erat tempore Justiniani ubi multæ mutationes quoad testamenti factionem antiquam irrepererant, alia erat illo primævo tempore. Unde tot exceptions ejus regula tradit Justinianus m], in quibus cum regula ipsa conciliandis sudant ferè commentatores. Communne asylum est distinctio inter testamenti factionem activam & passivam. Hac vero non opus est intuitu primorum temporum nec etiam ea distinctio rem explicat sed implicat.

i) d. tit. 20, §. 2.

l) §. 6. Inst. d. testam. ord.

m) d. §. 6. verb. Sed neque maluer.

§. XIII.

Non credendi sunt JCTi veteres ita stupidi fuisse, ut rem obscuram explicuerint per æquè obscuram. At vero & in quæstione quinam testes esse possint, quinam testamenta facere possint, & qui capere aliquid ex testamento possint, cum regulam tradere volunt, semper id dicunt cum quibus est testamenti factio. Vides igitur, quam absurditatem ipsis affingat explicatio communis. Quæro, quinam testes esse possunt? Respondent, cum quibus est testamenti factio, h. e. secundum communem explicacionem vel activa vel passiva. Jam quæro: quinam habent testamenti factionem activam? Respondent: cum quibus est testamenti factio: si de activa explices sensus est: qui testamenta facere possunt. Id vero est respondere per ipsum. Si de passiva, jam ulterius quero: Quinam possunt hæredes fieri? Respondent: cum quibus est testamenti factio: id est secundum hypothesin; qui possunt hæredes fieri, Quis crederet JCTos ita eludere voluisse

B

de

de jure sollicitos. Igitur is mihi videtur sensus esse. Etsi lex XII. Tabularum & latissimam concesserit testatoribus potestatem intuitu ejus qualis erat antea in calatis comitiis, non tamen hoc ita explicandum erit, ac si respectu personarum quæ testamenta facere, aut heredes fieri aut testes esse possent, recesserit planè à modo testamenti faciendi in calatis Comitiis, sed hic pro regula tenendum est, testatorem, hæredem, testes esse eos cum quibus *jam in calatis Comitiis* est testamenti factio. Est vero testatori negotium cum populo, qui in Comitiis comparet. Ergo uno verbo: Illi cum quibus est testamenti factio, sunt qui habent jus comparendi in calatis Comitiis. Si ita exponas res omnis plana & perspicua est tam intuitu testium, quam respectu testatoris & hæredis. Sed de singulis scorsim. Jam de testibus continuemus.

§ XIV.

Ergo non poterant mutus, surdus, furiosus, pupillus, fæmina testes, nec familiae emtores, nec libripendens esse, idque disertè adstruit Ulpianus.ⁿ⁾ Igitur cum temporis non mirabantur ex Romanis etiam juris parumper, cur mulier ad testimonium dicendum non admittetur in testamento, admitteretur vero in aliis causis, neque opus erat ad commune asylum ignorantia^{o)} confugere. In promptu causa erat. Non erat cum fæmina testamenti factio, h. e. non comparebat in Comitiis, ideoque nec testis, nec testatrix nec hæres esse poterat. Jam cum tempore Justiniani fæminæ & testamenta conderent & hæredes essent, & antiquitates Romanæ vel laterent vel ignorarentur, non poterat non hoc caput pro merè fortuito quasi & irrationali haberi.

ⁿ⁾ d. Tit. 20. §. 7.^{o)} scil. ad l. non omnium ff. d. LL.

§ XV.

TESTAMENTARIAE,

§. XV.

Pupillus haud dubiè non comparebat in Comitiis, nec furiosus. Mutus & surdus pariter, etiam si discretum vitium esset; surdus quidem quia non poterat audire, quid proponeretur, mutus quia votum dicere non poterat, p) Alia igitur ratio cœci, qui & audire proposita & sententiam dicere poterat, igitur & testis esse poterat in testamento q)

p) Conf. dicenda infra §. 40. seq.

q) Nam & testamentum facere poterat. Vide infra §. 40. Nec tum requirebatur, ut testes testatorem viderent, nam hoc est inventum subsequentium temporum l. 9. C. d. Testam. l. 12. eod. l. 8. in fin. C. qui testam. fac. poss. Wissenb. ad d. l. 9. C. Huber. disspt. fundam. §. 3. n. 7. & DD. communiter. Quamvis sit videndum ulterius, an ex illis textibus rectè probetur, quod cæcus non possit esse testis. Falsum enim est quod Huberus dicit in d. l. 9. expressi requiri ut testes videant testatorem. In conjectu testatoris ibi idem est ac in l. 12. eod. coram testatore.

§. XVI.

Et cum porrò soli cives comparerent in Comitiis, non poterat servus testis esse, nec peregrinus, nec Latinus, nec dedititus, nam hi non poterant comparere in Comitiis calatis, r)

r) Add. Ulpianus d. tit. 20. §. 8. & 14, quamvis ibidem sibi videatur contradicere, dum uno in loco cum Latino Juniano dicit esse testamenti factionem, in altero, quod testamentum facere nequeat, quoniam lege Junia prohibitus sit; Est enim fons conciliandi in tit. 22. §. 3. Adde Oisel. in notis ad Gaji Instit. lib. 1. tit. 12. p. 30. seq. Ut adeo non opus sit de hoc hominum genere, quod postea planè sublatum est, quicquam infra repetere, ubi de iis qui testamenta facere & ex eo quid consequi possunt, dicemus.

§. XVII.

Sed et si nemo testis esse potuerit in testamento Decemvirali, cum quo non erat testamenti factio in calatis Comitiis, non omnes tamen qui ad Comitia veniebant poterant esse testes. Unde jam videamus exceptiones regulæ. Scilicet in omni negotio testis est de negotio alieno non de proprio.^{s)} Cum ergo in ista imaginaria venditione fingeretur esse negotium inter testatorem & familiæ emtorem, suâ sponte sequebatur, quod uti nec ipse testator nec familiæ emtor poterat esse testis, ita nec ex persona, qui cum emtore vel testatore haberentur pro una persona h. e. qui in eorum potestate essent, aut qui familiæ emtorem in potestate haberet, vel cum ipso in unius patris potestate esset, possent verò esse testes & libripens fratres in ejusdem patris potestate, modo eorum pater nec testator esset nec familiæ emtor, ut hæc omnia iterum disertè Ulpianus referat.^{ff)}

^{s)} Ulpian. d. l. §. 6. diserte hanc rationem suppeditat. *Nihil nocet*, dicit, *ex una domo plures testes alieno negotio adhibere*. Item in §. 3. *Familia mancipatio inter testatorem & familiæ emtorem sit, & ob id domestici testes adhibendi non sunt*. Ex oppositione ad oculum patet domesticos testes hic esse testes in propria causa nec aliud dicit Julianus §. 10. d. test. Ord. & ejus Paraphrastes Theophilus. Ut adeo non opus fuerit ut commentatores ad illam §. prolixii fuerint in ostendenda ratione cur domesticum testimonium hic strictius accipiantur, quam in testimonio judiciali.

^{ff)} d. tit. 20. §. 3. 4. 5. 6.

§. XVIII.

Porrò nec testis esse quis potest in poenam, *intestabilis* propterea dictus, idque ipsa lege XII. Tabularum, quā cautum erat: *Qui se finit testarier, libripensve fuerit, nisi testimonium fariatur, improbus intestabilisque esto, Sensus est*) si quis

si quis actui alicui ut testis rogatus vel libripens interfuerit, ut tum testimonium sub poena intestabilitatis dicere cogatur. Etsi verò hæc lex non in specie ad materiam testamentariam, sed ad omnes mancipationes etiam pertineat, nullum tamen est dubium, quin primario hæc poena respexerit testamentarios testes u) & inde etiam ad reliquias mancipationes fuerit translatæ; ut homo intestabilis sit planè destabilis, cuius scilicet nec testimonium recipitur, nec ipsi dicitur testimonium x) ut adeo nec testamentum facere possit nec ad testamentum adhiberi. y) Illo igitur tempore nullum aliud crimen reddebat intestabilem, nam tum quidem SCtum de damnatis ob carmen famosum z) nondum erat latum, multo minus crimen hæresis cognitum erat aut crimen læsæ Majestatis. a)

z) vid. Jac. Gothofred. Tab. 7. & ibi in probat. & notā.

u) Theophil. ad §. 5. de testim. ordin. conf. supra §. 9. in fine.

x) l. 26. qui testim. fac. paf.

y) ita ipse JCTus Ulpianus explicat l. 18. §. 1. eod.

z) d. l. 18. §. 1.

a) l. penult. C. d. heret. l. 5. C. ad L. Jul. Majest. Adde Huber. dissert. fundam. 53. §. 8.

§. XIX.

Neque tam poena erat propriè dicta hæc intestabilitas quam talio. Qui enim alteri non vult exhibere officium illud humanitatis & testimonium dicere, ille non conqueri potest, si alii ipsi iterum non faciant, aut si postea non admittatur in simili negotio. Unde pertinet hæc intestabilitas æquali jure ad rubricam tituli quod quisque juris in alium statuerit, quam nigrum quod in jure Justiniano sub illa legitur. Neque tamen volebant Romani homines simpliciter ad testimonia dicenda cogere, liberior enim semper fuit primis temporibus potestas testimoni-

nij dicendi in statu liberæ reipublicæ. aa) At si quis se-
mel rogatus testis personam susceperebat in solennitate, ille
utique non sine animadversione erat dimittendus, si testi-
mōnum denegaret in probatione,

aa) vid. Jac. Gothofred. in no[n] u[er] ad d. Tab. 7.

§. XX.

His testibus adeo præsentibus siebat familiæ manei-
patio solennis à testatore. Quà formulâ facta fuerit di-
fertè non dicitur. Vero simile est factam esse eodem mo-
do ut de mancipatione in genere ex Gajo retulimus b) sal-
tem mutatis mutandis. Id est familiæ emtor æ tenens ita
dicebat: *Titi ego familiam ex jure Quiritium meam esse a-
jo, eaque mibi emta est hoc ære æneaque libra.* Deinde ære
percutiebat libram, indeque æs quasi pretii loco dabat te-
statori, à quo familiam mancipio accipiebat. Familia hic
ut in titulo familiæ herciscundæ & alibi c) hæreditarias res
denotabat.

b) supra §. 8.

c) L. 195. §. 1. ibid. DD. d. V. S.

§. XXI.

Confirmant haec tenus dicta evidenter ea quæ jam
supra cc) notavimus. Scilicet hos ritus fuisse observatos
quod ex principiis Juris Gentium, non obstante lege
XII. Tabularum absurdum videretur JCris Romanis, homi-
nem de rebus suis citra actum inter vivos aut consen[t]um
populi post mortem disponere. Ergo & testes adhibe-
bantur qui repræsentarent populum & mancipatio quæ
saltem repræsentaret alienationem in er vivos. Ut igitur
mancipatio etiam in vera alienatione rerum mancipi erat
imaginaria venditio, ita in testamentis talibus erat præter-
ea imaginaria alienatio. Nullum enim jus revera tum
quidem transferebatur in familiæ emtorem, uti siebat o-
lim

TESTAMENTARIE.

lim in calatis Comitiis, sed totum hoc dependebat à contentis tabularum, quæ ante mortem testatoris non aperiebantur: imo ne quidem ab his, sed à libera voluntate testatoris, annon per posterius testamentum & per novam mancipationem priores tabulas veller tollere.

cc.) *supra* §. 10.

§. XXII.

Inniuit hoc quæ in testamento per æs & libram præter mancipationem adhibebatur nuncupatio. Nuncupabatur vero testamentum in hunc modum. Tabulas testamenti tenens testator ita dicebat. *Hac uti bis tabulis certis scripta sunt, ita dō, ita legō, ita testor.* Itaque vos Quirites testimonium probitote. Quæ nuncupatio & testatio vocabatur. d) Atque Ulpiano tanquam rerum Romanarum & quæ suo tempore adhuc in usu erant experto, hac in re magis credendum, quam Theophilo, qui ut Græculus antiquitatum Romanarum non adeo gratus aberrat, cum nuncupationem illam sic describit e) quasi post mancipationem ordinaverit moriens, quid post mortem suam fieri veller, & adeo dixerit ad familiæ emtorem vel hæredem: Huic volo dari fundum, illi domum alii centum solidos.

d) Ulpianus *Tit.* 20. §. 9.

e) In paraphrasi ad §. 1. d. test. m. ordin.

§. XXIII.

Scilicet seduxit fortè Theophilum, quod observaret, illum actum ultimum vocatum esse nuncupationem, & in lege decemvirali extrare vocem *legasset*. Et sunt alii quoque, qui nuncupationem illam confundunt cum nuncupatione testamenti nuncupativi, à qua tamen multum differt. Quod ut melius cognoscatur, jam postquam ea exposuimus quæ de solennitatibus istis narrat Ulpianus, necesse

16 SENSUS LEGIS DECEMVIRALIS

necessè est, ut & de reliquis circumstantiis, quas non memoravit, cogitemus, easque ex dictis & regulis prudentiæ, aliquando etiam vel divinando assequamur. Quia enim istud neglexerunt Commentatores Juris Justinianei & falsos conceptus subinde sibi formarunt de Legе Decemviralі, non potuerunt non etiam in ipsa Juris Justinianei expositione subinde à scopo aberrare.

§. XXIV.

Cum igitur ex formula nuncupationis constet, quod testator testibus non prælegerit, quæ in Tabulis scriperat, sed potius id testibus fuerit occultum, patet aperte istam nuncupationem non esse actum testamenti quod postea nuncupativum fuit dictum. Unde non caute faciunt, qui ad declarationem istius nuncupationis adducunt textus pandectarum de nuncupatione testamenti nuncupativi loquentes.^{f)} Nam testamentum per æs & libram si ista adhiberetur formula erat testamentum scriptum & mysticum,^{g)} in quo heres occultabatur, adeoque testamento nuncupativo oppositum.

f) quales sunt l. 21. qui testam. fac. poss. l. 58. d. hered. insit. l. 8. §. 4. d. bon. poss. sec. tabulas, ubi heres in tabulis & heres nuncupatus aperte sibi opponuntur.

g) Mysticum olim Jcti appellabant omne testamentum scriptum vide Harmenop. *Promptuar.* l. 5. tit. 1. p. m. 357. seq. Et adeo nondum Pragmatici effabricaverant ex contortis textibus l. 77. d. her. insit. l. 38. d. cond. & demonstr. suum testamentum quod specialiter mysticum vocant, ubi heres seorsim in schedula quadam scribitur, invita profecto jurisprudentia, etiam Julianæ.

§. XXV.

Scilicet illa ratio ita nuncupandi & occultandi heredem ideo à Jctis videtur fuisse inventa. In calatis Comitiis

TESTAMENTARIE.

17

mitiis raro facta fuisse testamenta & omnia fuisse nuncupativa nuper demonstravit Dn. Præses. b) Ut itaque quantum fieri posset, similitudinem cum testamentis Comitiorum haberent testamenta per æs & libram, alloquebantur quidem in illa nuncupatione testes, uti in Comitiis populum i) sed tamen non nominabant heredem ex metu insidiarum.

b) *dissert. de primis init. Success. testam. Rom. §. 13. & 21.*

i) Ergo etiam ipse nuncupationis terminus ex Comitiis in testamentum per æs & libram transit.

§. XXVI.

Cum enim fortè jam fuisset observatum, quod in talatis Comitiis heres institutus & à populo approbatus, & cui adeo testator hereditatem adimere amplius non possit, absque inquiete tamen mortem amici haud expectaverit, verbantur multo magis, ne occasio daretur heredibus institutis insidias struendi testatoribus, postquam lege Decemvirali liceret testamenta pro lubitu & toties quoties placuerit facere. Facilius enim ad insidias irritatur ille, qui incertus est, an heres futurus sit, ut antevertat testatoris mutabilitatem, quam is qui securus est, quod testator etiamsi velit, rursus adimere non posit.

§. XXVII.

Hinc valde errant, qui nuncupativum testamentum ex ipsa lege XII. Tabularum deducere voluerunt, adeoque ad causas testamentarias traxere legem: *Quum nexum manipulande faciet, uti lingua nuncupasit ita jus esto.* Sed absque sufficienti ratione, cum lex illa pertineret ad translationem dominii inter vivos ¹⁾

1) Hotom. l.3. Ant. Rom. fol. m. 441. cum errorem erravit, notatus propterea à Gothofred. in his. ad tab. 6. p. m. 210.

C

§. XXVIII.

Neque tamen prohibitum erat testatori testamento scriptos heredes, si vellet, testibus nominare. Sed tamen non majorem vim tum habebat nominatio quam scriptura, nec siebat sine scriptura. Imò a prudentibus testatoribus nequaquam adhibebatur, nisi forte à morientibus, qui insidias heredum ut timerent causam non habebant. Atque hoc pertinet exemplum Cyri Ciceronem & Clodium instituentis supra m) allatum: quod tamen vel ideo non erit referendum ad testamenta nuncupativa, cum revera scriptum & signatum fuerit. Quare simul vides cur conjectura ibidem adducta firma maneat, quod Horatius occasionem dederit introducendi testamentum nuncupativum, cum scriptum perficere non posset. Nec obstat, quod Hotomanns n) putet, opus fuisse ut testamentum Horatii lege aliquā jam publicata valuerit. Nam & multa usu sunt introducta, multa favore Augusti substituerunt, quæ alias irregularia essent. o)

m) supra §. 6.

n) d. l.

o) §. i. d. fideic. hered. Pr. de Codicillis.

Quæ cum ita sint, facile jam judicari potest, quid sentiendum sit de opinione Theophili, docentis, quod primis temporibus ortorum testamentorum per æs & libram familiae emitor simul heres fuerit. Postea vero id mutatum fuerit, postquam animadversum fuisset, quod heres pro certo habens se heredem futurum in dominum hereditatis insidias comparaverit. Igitur tum cœptum esse saltem imaginaria emtione uti, & testatorem seorsim in tabulis aut chartis heredem scripsisse. p) Nihil enim ea de re apud antiquiores scriptores legitur, & jam istum erro-

TESTAMENTARIA.

errorem adnotavit Hotomannus. ¹⁹ q) Cui assentimur, si Theophilus putavit, familiae emtorem necessario fuisse heredem instituendum, & postea propter rationem ab eo memoratam id lege aliqua mutatum esse.

p) Theoph. *ad pr. Inst. de tef. ord.*

q) Adde Huber. *digress. lib. 4. c. 31. §. 3.* ubi respondet simul ad rationes dissentientis Vinnii.

§. XXX.

Neque tamen contra putandum est, ut videntur, communiter Commentatores sibi imaginari, ac si familiae emtor nunquam heres verus, sed hic semper persona distincta à familiae emtore ex JCTorum, solennitates illas introducentium, voluntate fuerit. Nihil eā de re vel Ulpiani fragmentum vel alii scriptores fide digni memorant. Ergo sic negotium erit concipiendum. Videtur initio emtor familiae in Tabulis heres scriptus esse, ne tamen ad infidias incitaretur, plurima simul scribebantur legata in tabulis exhaustientia & absorbentia saepius hereditatem. Postea, cum intelligerent testatores, sibi licere emtori hereditatis lucrum per legata auferre, cooperunt etiam alios planè heredes in testamento scribere & sic saepius spem familiae emtoris eludere, donec ipsa frequentia talium actuorum persuaderet emtores familiae, quod potius præsumendum sit, se non esse, quam esse heredes.

§. XXXI.

Ita vero ratio simul aperta redditur, cur initio non fuerit cogitatum de quaestione an heres vel qui in ipsis potestate esset ipse posit us esse testis in testamento per æs & libram? cum initio regulariter familia emtor esset heres, adeoque sufficeret prohibere, ne qui in ejus potestate esset, simul esset testis testamentarius. Unde verum quidem est, quod Tribonianus scripsit r) apud veteres con-

C 2

turba-

turbatum fuisse hoc capitulo, quod eos qui una persona
fusserent cum familia emtore non admisissent, admisissent
tamen heredem; verum etiam est, & expositionem no-
stram modo memoratam corroborat, quod heres obtine-
at imaginem vetustissimi familie emtoris.^{s)} Quod vero
Tribonianus addit, veteres dissuasisse vel testatoribus vel
heredibus, ^{t)} ne potestate hac abuterentur, id ad figmen-
ta Triboniani videretur referendum esse. Similis est ratio
illius assertionis, quasi olim heres ideo fuerit admissus, quia
incertus fuisset & occultus,^{u)} si de primis temporibus legis
decemviralis eam intelligas.

^{r)} §. 10. Inst. d. L.

^{s)} i. e. quod heredes subsequentium temporum sint revera, quod
olim fuerint primi familiae emtores. Unde non ita accurate
Huberus d. §. 3. haec verba sic explicat, ac si Imperator dixis-
set, vetustissimum familie emtorem fuisse imaginem heredis,
h. e. cum representasse.

^{t)} Ambiguum enim loquitur Tribonianus. De testatoribus tamen
intellexit Theophilus ad d. §. 10. De herede Huberus dis-
fundam. 53. §. 12.

^{u)} vid. Huber. d. L.

§. XXXII.

Imo & si de subsequentibus temporibus. Nam
vel exemplum Ciceronis aliquoties adductum ostendit, o-
lim heredem potuisse esse testem, etiam si palam nuncupa-
tus sit. Et ista permisso duravit usque ad tempora Justi-
niani ^{x)} qui adeo Ulpiani textum mutavit ad suas Consti-
tutiones, eique affinxit, ac si jam ejus tempore prohibitum
fuerit ne heres testis esset in testamento.^{y)} Quod vero
in contrarium assertur, Justiniani tempore amplius non fu-
isse in usu, ut heredes adhiberentur loco testium, idque
certo inde constare, quoniam illa vetus licentia in testa-
mento

TESTAMENTARIE.

21

mento per æs & libram obtinuerit, quod tamen jam ante Justiniani ævum in usu esse desierat; z) id similiter haud concludit. Quid enim obstaret quo minus idem mos pristinus testamenti per æs & libram potuerit durare omis- sa nuncupatione & saltem signatione testamenti adhibita, quam Prætor postea sustinuit.

x) d. §. 10.

y) l. 20. pr. de lib. T postb. Loqui vero Ulpianum eo loco de te- stam. per æs & libram ostendit §. 8. ejusd. legu, verb. donec supra contestatio &c. i. e. nuncupatio. Vide Wifsenb. em- blemata Tribonianii.

z) Huber. d. dissert. 53. §. 12.

§. XXXIII.

Imo, ut & de signatione jam quædam dicamus, & quomodo Prætorium testamentum verosimiliter incep- rit, intelligamus, sequestrandus est communis conceptus vel ex errore Tribonianii vel ex non recte intellectis ejus verbis haustris, quasi nimirum in testamentis per æs & li- bram nulla signatio testium fuerit adhibita, sed potius hæc tota originem debeat Edictis Prætorum & Prætores in suo testamento numerum testium auxerint, ac loco quinque testium septem adhibuerint. Nam hæc omnino falsa esse pater, quod de origine testamenti Prætorii nihil aliud constet, quam Edictum de bonorum possessione se- cundum tabulas, quo Prætor promisit, se daturum bono- rum possessionem, si offeratur testamentum à septem te- stibus saltem signatum, etiam si ruptum sit vel irritum jure civili. b) Formulam refert Cicero. c) Si de hereditate ambigetur & tabulae testamenti obsignatae non minus multis signis, quam ē lege oporteat ad me proferentur, secun- dum tabulas testamenti potissimum hereditatem dabo. Ergo Prætor nihil de signis aut numero testium hic præce-

C 3

pit,

pit, sed saltem si numero testium secundum legem præscripto subsignata tabulæ offerantur, quod bonorum possessionem dare velit, edixit. Ergo numerus septem testium non est ex Edicto Prætoris sed ex lege. d) Unde sit subscriptio, ex illo quidem loco Ciceronis non liquet, sed saltem liquet, non esse ex iussu Prætoris. Declarat Prætor quid facere velit, si ipsi offeratur testamentum septem testibus signatum, & formam adeo talium testatorum ante Edictum suum in usu fuisse supponit. Adde, quod vero similiter testamentum Cyri Ciceronem & Clodium instituentis, factum fuerit per æs & libram, item quod Horatius tali testamento voluerit Augustum heredem facere cum ipse Julius Cæsar & Augustus hunc testandi modum adhuc adhibuerint. e) Et tamen testamentum Cyri signatum fuit à testibus, & Horatius signare voluit suum, sed ob vim morbi non potuit. Imo in lege Celsi qui sub Hadriano vixit, f) ubi testamenta per æs & libram haud dubie adhuc in usu erant g) testem esse & signare testamentum ut synonima proferuntur. Ergo rem sic cape.

a) fundamentum hujus assertionis ponitur in §. 2. & 3. de testam.

Ord.

b) Ulpianus tit. 23. §. 6. l. 12. de injust. rupt. Huber. l. 4. digress. c. 33. §. 1.

c) lib. 1. in Verrem, c. 45.

d) Huberus d. l. §. 2. dicit: Initium septem testium esse à Prætore, ac cum usu civium maxime frequentaretur, eum à lege esse confirmatum, idque procul dubio lege Cornelia testamentiaria quam Sylla tulerit, factum, cuius adeo Prætor, qui minister legum est, mentionem facete in formula debuerit. Nos, etiamsi illa fictio Huberi de lege Cornelia videatur durior, cum nemo unquam id dixerit, eam de septem testibus dispuisse

TESTAMENTARÆ.

23

fuisse, admitteremus tamen tanquam conjecturam, si modo constaret, initium septem testium esse à Prætore.

a) Zach. Huber. de testamento Julii Cesaris §. 3. Et de testamento Augusti §. 3.

f) Eberlin de O. J. c. 48.

g) quia supra §. 4. probavimus ea adhuc in usu fuisse diu post, nimirum Ulpiani temporibus.

§. XXXIV.

Ait Imperator. Jure civili signa testium non fu-
isse necessaria, b) recte. Neque enim Icti præceperant,
cum solennitates testamento per as & libram præscribe-
rent, ut testes signare deberent. Sed in præscriptione so-
lennitatis nuncupatio erat ultimus actus, unde suprema
contestatione vocatur.ⁱ⁾ Sed tamen nec prohibuerant testi-
um signationem, & natura negotii mox videtur eam
postulasse, ut usu introduceretur. Fac enim & concipe.
Dixerat testator solennia illa verba nuncupationis & testes
invocaverat, ut testimonium dicerent, se ea quæ in tabu-
lis ostensis scripta essent (quæ tamen ipsis non prælegerat)
dare, & legare. Necesse est, ut postea adhuc alia quædam
fuerint facta, quæ in solennitatib⁹ præscriptis non referuntur
quoniam relinquebatur res arbitrio testatoris. Quomo-
do enim potuissent testimonium dicere testes, mortuo te-
statore, de testamento, nisi certum ei signum fuerit addi-
tum, unde potuerint cognoscere, has esse easdem illas ta-
bulas, quæ ipsis fuerunt ostensæ tempore nuncupationis.
Signum solius testatoris tabulis impressum non sufficiebat,
alias mutare potuisset pro lubitu illas tabulas & alias sub-
stituere. At hoc non licebat, sed, si mutare quid vellet,
omnia ex integro facienda erant.^{j)} Aut, quid si duæ vel
tres tabulæ repertæ fuerint signo testatoris signatae? Igi-
tur signabat & familiæ emitor tanquam præsumptivus heres.

Jam



SENSUS LEGIS DECEMVIRALIS

24

Jani vero nihil tam naturale est, quam, ut testes negotio alicui, ubi partes negotium peragentes signant, adhibiti, & ipsi simul signent. Quare, et si nihil præscriperint JCri, quomodo testator certiores reddere debuerit testes, tabulas post mortem suam aliquando extituras esse illas ipsas, quas tum iplis ostenderet; vel tamen ex ipsius negotii natura appareret, mox ab initio testamenta suisse signata à testatore, familiae emtore, quinque testibus, imo & à libripende. Nam & hic ex lege XII. tabularum in omnibus mancipacionibus testimonium, ubi opus esset simul dicere debebat sub pena intestabilitatis.^{m)} Ita habes excepto testatore testem sextum. Porro, cum ut diximus, temporibus subsequentibus familiae emtor regulariter non esset heres & tamen secundum morem semel receptum testamentum signare continuaret, signum ejus tanquam signum septimi testis fuit habitum.

b) §. 2. d. testam. ord.

i) l. 20. §. 8. qui testam. fac. poss.

l) l. 21. §. 1. qui testam. fac. poss.

m) vide supra §. 17.

§. XXXV.

Tale testamentum si Prætori offerretur, ubi secundum formulam Ciceronis tam multa signa aderant, quam è lege oportebat, h. e. tot personarum quot lex decemviralis præter testatorem requireret; Prætor dabat b. p. secundum tabulas, etiam si agnatione posthumum vel alio modo testamentum esset irritum factum.ⁿ⁾ Igitur id quod Prætor hic corrigebat, in eo confitebat solum, quod asisteret testamento irrito facto, non ut Justinianus scribit, quasi Edictum Prætorium novam faciendorum testatorum formam introduxerit, ac nullam mancipacionem desideraverit.^{o)} Hoc enim Prætori nunquam in mente venit.

TESTAMENTARIAE.

29

venit. Quia potius is in Edicto suo præsupposuit mancipiationem factam, cum non quinque testium, quæ alias citra mancipationem sufficerent, sed septem sigilla præcise requireret. Imo præsupposuit, & reliqua rite facta esse, v. gr. intuitu testatoris. ⁹⁹⁾

n) Ulpianus tit. 23. §. 6. l. 12. de inj. rupt.

o) d. §. 2. d. testam. ord.

oo) Cic. Topic. c. 4. & lib. 7. Epist. 21. conf. infra §. 47.

§. XXXVI.

Interim illud non est diffidendum, venerationem istam solennitatum jure civili præscriptarum paulatim evanuisse, cum Prætor semel & in materia testamentaria incepit jus civile corrigerem concedendo bonorum possessiones tam contra tabulas jure civili subsistentes, quam secundum eas, quæ jure civili valere non deberent. Accedebat, quod sub statu Monarchico nunquam tanta sit autoritas solennitatum, quanta est in libera republica, & quod sub statu Monarchico eo minus videbatur necessaria mancipatio, quo certius esset, nihil amplius ea agi, quam ut saltem denotetur, quod testamenta primis initiis deberent esse cum suum exercere inter vivos, nunquam vero amplius familiæ emtorem ipsum heredem esse. Certe aliis dedit hæc res occasionem, ut hanc mancipationem haberent pro ridicula. Et communiter solet eam in rem adduci Plutarchus p) tanquam varias populorum leges ineptiæ insimulans quas inter juxta Lacedæmoniorum rhetram ne mystacem alere liceat, etiam hanc irrideat Romanorum, quod alios quidem faciant heredes, aliis hereditates vendant. Quicquid autem de Plutarcho sit, non credo ante tempora Christianorum Imperatorum mancipationem &

D

deo

adeo testamenta per æs & libram planè desississe esse in usu.

p) de sera numinis vindicta f. m. 318.

§. XXXVII.

Ipsam vero Plutarchi censuram quod concernit, video variè eam considerari à variis. Alii Plutarchum non ipsum ita sentire dicunt, sed saltem introducere Timonem quendam ita differentem. q) Alii dicunt, Plutarchum non rectè intellexisse rationem introducti hujus moris & ideo tam inique de eo sensisse. r) Alii contra Plutarchum temerè ignorantiae accusari statuunt, sed probe volunt eum intellexisse hoc argumentum quod tractat, ac justè irrisisse mores Romanorum. s) Nostra quidem non multum interest mentem Plutarchi inquirere; non possumus tamen non occasione ita se offerente duobus verbis ostendere, quam seducere soleat excellentissima ingenia vel planè neglecta vel saltem supina autorum inspectio. Tractat eo in loco Plutarchus quæstionem de sera numinis vindicta per modum dialogi. Et primo proposita obiectione contra iustitiam divinam per quendam Patroclam & Olympiacum, Timon alia adhuc vult addere, sed interrupitur statim ejus sermo à Plutarcho, qui antequam quæstionem resolvat præmittit, mirum non videri debere quod hominibus videantur multa quæ Deus facit, quia rationem factorum nesciant, esse parum cohærentia, cum id soleat etiam accidere in humanis negotiis etiam prudentibus, quod rationes legislatorum nesciamus, & tum exempli loco memoratam rhetram Lacedæmoniorum & legem illam XII. tabularum affert. Ex his vero patet, Plutarchum omnia alia dixisse, quam illa, de quibus DD. circa ejus mentem disputare diximus. Neque enim tum objectionem quandam aut sententiam Timonis sed propriam

am proponit, neque irridet Romanos, cum ejus locutio non sit absoluta sed hypothetica, ^{t)} neque adeo ex hoc loquendi modo videri poterit, an ignoraverit rationem legis decemviralis, an minus. Interim si verba prout jacent confidere, magis videntur favere opinioni quod ignoraverit; at si reliqua ejus scripta pensites, testantia de ejus eruditione in antiquitatibus Gracis pariter & Romanis, verosimilius est, eum rationem illarum legum omnium quas ibi adducit, nequaquam ignorasse.

^{q)} Huber. d. l. 4. digress. c. 33. §. 1.

^{r)} Brisonius l. 1. ant. cap. 7. Vinnius in Commentar. ad §. 1. de testam. Ordin.

^{s)} Zach. Huber. de testam. Cas. Aug. §. 4. p. 154.

^{t)} Non enim dicit hæc ridicula esse, sed videri, scil. alii qui rationes ignorant.

§. XXXIX.

De solennitatibus testamenti Decemviralis satis. Jam videndum quinam testamenta ex lege decemvirali facere possint. Non alii, quam qui poterant facere in calatis Comitiis. ^{u)} Ibi vero omnes facere poterant, qui in Comitiis poterant comparere, & habebant de quo restarentur. Ergo eadem est ratio testamentorum per æs & libram.

^{u)} vide supra §. 12. 13.

§. XXXIX.

Unde jam evidens est doctrina Ulpiani, quem relis qui exscribunt omnes, de iis qui testamenta facere non possint ^{x)} quamvis is subinde addat rationes secundarias, ad quas adeo non tam erit respiciendum, quam ad illam generalem modo dictam. *Filius familiæ*, inquit, *testamentum facere non potest*, quoniam nihil suum habet, ut testari de eo possit. Sed *Divus Augustus Marcus* constituit, ut *filius-*

familias miles de eo peculio quod in castris acquisivit testamentum facere posse est. Impubes licet sui juris sic testamentum facere non posse, quoniam nondum plenum animi judicium habet. Mutus, surdus, furiosus, item prodigus, cui lege bonis interdictum est, testamentum facere non possunt: mutus, quoniam verba nuncupationis loqui non potest; surdus, quoniam verba familie emotoris exaudire non potest: furiosus quoniam mentem non habet, ut testari ea de re possit: prodigus quia commercium illi interdictum est, ut ob id familiam mancipare non possit.

x) tit. 20. §. 10, 12, 13.

§. XL.

Sed Ulpianum, præprimis in reddendis rationibus juris antiqui non semper exactas dare, uti tyronibus vel vel ejus assertis variantibus de ratione cur partus ancillæ non sit in fructu, notum est, sic idem & hic contigit. Cur impubes, mutus, surdus, furiosus itemque prodigus, cui lege bonis interdictum erat, non possent testamentum facere, primaria ratio erat, quia non possent comparere in Comitiis. De mutis & surdis rem probavimus jam supra y) & simul ostendimus coecos ideo ad testimonium dicendum fuisse admissos, quia in Comitiis comparere poterant. Inde nec mirum, quod cæcus testamentum facere possit. Cæcus testamentum facere potest, inquit Paulus, z) sed iterum secundariam afferens rationem, quia accire potest adhibitos testes, & audire sibi testimonium perhibentes. Imo & furiosus tempore intervalli testamentum facere potest a) quia scilicet potest tempore intervalli comitia frequentare.

y) supra §. 15.

z) Recept. sentent. lib. 3. tit. 4. §. 4.

a) Paulus ibid. §. 5.

§. XLI.

§. XLI.

Cæcus itaque ex lege decemvirali poterat testamens
tum facere eodem modo ut alii, neque putabatur opus es-
se, ut sextus testis adhiberetur præter libripendem & fa-
miliae emitorum. Et rectè; nam numerus testium ibi
non adhibebatur probationis sed solennitatis gratia. An
igitur rectè hac parte legem decemviralem Justinianus cor-
rexit b) alii dispiciant. Mutus & surdus, qui discretis
vitiis sunt, an ex regulis prudentiæ postea sint ab Impera-
tore admitti, c) similiter aliis disquisirendum relinquo. In-
terim breviter nota, quid rationes legum faciant. Si Ulpiani
rationem attendas, quare surdus & mutus non sit
admittendus, ea, cum respiciat præcisè solennitatem man-
cipacionis, cessavit, cessante ipsa mancipacionis solennitate.
At verò si genuina ratio ex calatis comitiis petatur, & quod
lege decemvirali fundamenti loco positum fuerit, non alios
ad testamenta, hereditatem, & testimonia de testamentis
esse admittendos, quam qui in calatis Comitiis admittie-
bantur, ea non cessat, etiam si cesseret mancipatio.

b) I. 8. C. qui testam. fuere poss.

c) I. 10. C. eod.

§. XLII.

Maximè vero ex exemplo prodigi pater, Ulpianum
adduxisse rationem secundariam. Verum est, prodigus,
quia illi commercium interdictum, est ob id familiam man-
cipare non potest, etiam in testamento per æs & libram,
quia sæpius diximus & hanc mancipacionem fuisse aliena-
tionem inter vivos. Sed hæc ratio non est primaria, cur
prodigus testamentum facere nequeat; alias enim sublata
mancipatione testamentaria testamentum facere posset.
At non potest. Adde si hæc fuisse ratio, quod tum sub-
lata mancipatione sine ratione videatur ipsi interdicta te-

stamenti factio, quia tum nulla amplius alienatio inter vivos nec ejus simulacrum quidem in testamentorum solennitatibus intercedebat. Ab alienatione autem inter vivos prohibita ad alienationis post mortem interdictio nem non valet ratiocinatio, cum minores curatores habentes non possint alienare inter vivos, & tamen testamento faciunt.

§. XLIII.

Ergo potius dicemus; quia lex XII. Tabularum prodigos & furiosos æquiparavit, d) prodigi æque arcebantur à comitiis ac furiosis. Scio quidem, pragmaticos in ore habere, prodigos æquiparari furiosis saltem in alienatione bonorum, unde, si hoc universaliter verum esset, jus Comitiorum ipsis non fuisset interdictum. Sed quemadmodum nostra intentio haud est, illud dictum, quod in doctrina de delictis suam utilitatem habet, quas limitaciones admittat, examinare, ita nobis jam sufficit, in ipsa lege XII. Tabularum tutoribus vel curatoribus prodigorum dari potestatem non solum in pecuniam prodigorum sed & in ipsis æque e) ac in furiosos, aut ut in impuberes. At nec furiosus nec impubes jus Comitiorum haberet.

d) Dixerat enim: *Si furiosus aut prodigus existat, aß ei cuius nec escit, agnatorum gentiliumque in eo pecuniaque ejus potestas esto.* Vide Jac. Gothofred. de LL. XII. Tabb. tab. 5. eumque adde omnino in lib. 3. probat. p. 98. 99. ut appareat, quam minus recte Hotomannus & alii sensum legis percepérunt.

e) vide modo verba: *in eo pecuniae.*

§. XLIV.

Sed, inquis, si hæc ratio foret, prodigus nec posset esse testis in testamento. At Ulpianus ubi eos qui testes esse nequeunt, f) recenset, prodigum omisit, et si furiosi mentio-

TESTAMENTARIÆ.

31

mentionem faciat. Nec ipse supra mentionem fecisti prodigi, cum de testibus ageres. Ita quidem est. Volui enim hanc questionem hoc loco tanquam commodiore tractare. Idem forte & ab Ulpiano intentum. Quare & nunc illa doctrina de testibus ex hoc loco erit supplenda, & omnino asserendum, prodigum ideo, quia non habuit testamenti factionem, & quia non potuit comparere in Comitiis, nec potuisse etiam esse testem, cum alias si illa solum ratio eum à testamenti factione repulisset, quod familiam mancipare non potuisset, non fuisset à testimonio excludendus. Et ne cavilleris hanc assertionem esse tantum prudentiae cerebrinæ conjecturis incertis & dubiis nixa; en ipsum Ulpianum alio loco g) doctrinam nostram egregie confirmantem.

f) Ulpianus tit. 20. §. 7.

g) lib. 1. ad Sabinum unde desumpta l. 18. pri. qui testam. fac. poss.
Is cui lege interdictum est, testamentum facere non potest, &
si fecerit ipso jure non valet. Merito ergo nec testis ad testa-
mentum adhiberi potest, cum neque testamenti factionem ha-
beat. Simile est quod in fragmento Pauli reperitur recept.
sent. lib. 3. tit. 4. §. 12. Prodigia recepta vita sanitate ad bo-
nos mores revertens, & testamentum facere & ad testamenti so-
lennia adhiberi potest.

§. XLV.

Sed nondum possumus ad filiumfamilias transire,
Urget enim adhuc ut doctrinam nostram defendamus, fæ-
mina. Cum fæmina non esse testamenti factionem, nec
eam posse testem esse, nec comparuisse in comitiis supra
b) est assertum. Ergo si iste foret character examinandi
etiam eos qui possent testamentum facere, nec fæmina
posset testamentum condere. At & jure Justinianeo po-
test, & olim potuit, cum testamenta per as & libram e-
rant

SENSUS LEGIS DECEMVIRALIS

32
rant adhuc in usu, de quo ne dubitemus ipse Ulpianus testimonium perhibet.ⁱ⁾ Fateor hoc dubium maximè premere doctrinam nostram, ut si istud cum ratione rejicerimus, ferè res consecuta videatur. Sed arte opus erit. Ur sit idem JCrum summum & nemini facile secundum, Franciscum Balduinum, neque tamen ipse quomodo se expediret, invenit.ⁱⁱ⁾ Alius eruditio pariter clarissimus ex ipso textu Ulpiani arrepta distinctione negotium expedire voluit. Multa forte circa utramque sententiam moneri possent. ⁱⁱⁱ⁾ Sed malumus brevitatis studio saltē mentem nostram aperire.

ⁱ⁾ d. tit. 20, §. 15. Fæmina post duodecimum annum aetatis testamento facere possunt, tutore autore donee in tutela sint.

ⁱⁱ⁾ Bald. ad L. XII. Tabb. cap. 29. p. 116. Sed & mulierem, inquit, quæ se capite non deminuit, b. e. quæ emancipata non est, non possè testamentum facere, dixit Cicero in Top. ad Trebat. & lib. 7. Epistol. ad eund. Sed & dubito an olim materfamilias omnino potuerit bac lege testamentum facere. Certe cum calatis Comitiis hoc siebat, vix est, ut potuerit, quæ nullam habebat cum Comitiis communionem. Sed alioquin per as & libram cur non potuisset? Quid si mulier sit in potestate tutores? Tutore autore poterat testamentum facere. Livius libro 39. meminit libertine mulieris quæ olim testamentum Rome fecerit, Tutore petito à Tribunis & Praetore.

ⁱⁱⁱ⁾ Conr. Rittershusius in leg. XII. Tabb. Cl. 3. Part. I. cap. XI. p. 100. De fæminis distinguendum esse videtur ad hunc modum. I. Fæmina aut erat in tutela (sicut olim in perpetua tutela erant fæmine, etiam post libertatem, qua tamen certis modis liberabantur, ut docet Ulpianus in fragm. tit. II. & tit. 20. §. penult. Item Boetius in Topic. Cicer. & ipse Cicero alibi) aut non est in tutela. II. Fæmina aut testari volebat in commissis calatis, aut per as & libram. Si fæmina esset in tutela poterat testamentum facere tutore autore. Ulpianus d. tit. 20. §. penult.

TESTAMENTARIE.

33

s. penult. Quod tamen satis mirum videtur, cum alioqui certum sit, testamenta non debere pendere ex alieno arbitrio. Ebenim testamentum voluntatis nostrae justa sententia. Si mulier tutela fuisse liberata, testamenta sine autoritate tutoris facere poterat per eas & libram. Calatis vero Comitiis non poterat, ideo quia mulieres comitiorum jus non habebant, quomodo & Telemachus apud Homerum in Odyssea matrem suam jubet a Comitiis sine concione facessere & domum se conferre ad domum & telam suam tractandam: viris enim concessionem cura esse debere. Postea tamen receptum est, ut feminæ quoque liberæ testari possent, dummodo 12. annum compleviscent, l. 5. ff. qui test. fac. poss.

- n) Initio nondum constat an Cicero in Topic. c. 4. quod volebat Balduinus, per mulierem quæ non erat capite minuta, intellicheret eam quæ non esset emancipata. Sanè Boetius ad d. I. Ciceron. p. m. 781. intelligit eam quæ nondum convenisset in viri manum. Sed nec ipsius tamen explicatio cohæret. Forte intellexit Cicero plane inverso modo quæ non exiisset ex manu viri, i. e. quæ virum habebat. Vir enim tum temporis erat caput uxoris &c. Deinde Rittershusii prima distinctione an mulier sit sub tutela an non, leges XII. Tabb. non explicat cum eo tempore mulier fuerit in perpetua tutela, & falsum sit adeo, quod feminæ aliquando à tutela sint liberatae illis temporibus & sui quasi juris effectæ. Nam apud Ulpianum in fragmento d. tit. XI. in fine loco verborum: *Femine autem tutela liberantur legendum esse non liberantur contextus ostendit, quia alias nullus est sensus. &c.*

§. XLVI.

Ergo assumo fundamenti loco quod conceditur, feminas non fecisse testamenta calatis Comitiis. At nemini potestatem concesserunt, qui antea non habebat, nec Leges XII. Tabb. nec JCti qui primitus explicabant leges, nisi id evidenter doceatur. Sed doceri id nequit. Patrifamilias mentionem facit lex decemviralis. Sed hæc

E

VOX



vox pro neutra sententia probat, quia in legibus modo sexus masculinus fæmininum includit, modo excludit, prout vel eadem vel diversa utriusque sexus est conditio. Imo doceri potest evidenter, fæminas primis temporibus nec per æs & libram testari potuisse. Annotaverunt id Gellius pariter & Plutarchus; iste distinctius hic aliquo modo obscurius, o) videlicet lege Horatia Taratæ Vestali virginis per modum privilegii inter alia concessum esse, ut sola ex fæminis testamentum per æs & libram facere posit. Ergo reliquæ fæminæ facere nequierunt.

o) A Plutarcho incipiemus. Is in Valerio Publicola f. m. 94. Tarquiniam vocat, & privilegium sic describit, quod ipsi soli ex sexu sequiori licuerit testimonium ferre, τὸ μαζῆσθαι ἀντὶ τῆς δέξεως μόνη γυναικῶν. Credo Plutarchum voluisse dicere, quod ipsi soli licuerit testimonium suscipere, seu quod ipsi soli licuerit testimonium dici (in testamento factio). Interpretes activè intellexerunt, quod ipsi soli licuerit testimonium dicere: quamvis si de testimonio testamentario rem intellegas, parum intereat. Multum autem intereat, si de alio quovis testimonio, ut fit in novissima versione Gallica p. m. 517. le peuple ordonna que son temoignage seroit receu en justice, privilege, qu'on n'ayoit pas encor accordé aux femmes. Mirum hoc esset, fæminarum testimonia in judicio olim non fuisse suscepta. Et quis hoc dixit? Gellii locus est lib. 6. c. 7. Tarratiam virginem Vestæ fuisse lex Horatia testis est. (Non illa qua abrogatis Decemviris publicata, sed alia posterior, ut videtur etiam intellexisse Horomannus l. i. antiqu. Roman. hac voce) qua super ea ad populum lata, qua lege ei plurimi honores sunt, inter quos jus quoque testimonii dicendi tribuitur: testabilisque una omnium feminarum ut sit datur. Id verbum est ipsius legis Horatiae. Contrarium est in XI. Tabulis scriptum: Improbus intestabilisque esto. Vide supra S. 18. Non obstat, quod Gellius statim narret: Accam Larentiam testa-

TESTAMENTARIE.

35

testamento Romulum Regem, ut quidam alii tradiderint, populum Romanum bonis suis heredem dedisse, propterea ei sacrificium publicè fieri. Nam ipse statim ex Sabino Massurio alias illius sacerdotii causam refert. Et quomodo Larentia illa testamentum facere potuisset, cum illo tempore testamenta Romanis vel esse incognita, vel non nisi calatis Comitiis fierent.

§. XLVII.

Sed ut fæminaæ subsequentibus temporibus etiam in statu reipublicæ liberæ subinde multum potuerunt, ita non mirandum, quod & testamenti factio ipsis fuerit concessa. Quando & qua occasione factum sit, non constat, unde moribus paulatim id invaluisse verosimile est, postquam per privilegium jam una fuerat admissa. Livius certè tanquam rem non insolitam memorat, quod jam anno ab U. C. 567. p) Hispala fæmina libertina, scortum nobile post patroni mortem, quia in nullius manu erat, tutore à Tribunis & Prætore petito, cum testamentum faceret unum Ebutium juvenem, quem deperibat, heredem instituerit. Neque tamen propterea dixerim, mores illius temporis jam fuisse universales, ut fæmina testamentum faceret. Etsi enim hæc meretrix esset, notandum tamen, quod Patronus ejus esset mortuus, & adeo verosimiliter hæc fæmina nullum haberet heredem ab intestato. Certè tempore Ciceronis, i. e. integro seculo & ultra post illud factum à Livio memoratum Turpilia quadam Silium heredem instituerat: Jcti dissentiebant an b. possessio locum haberet, ideo quia testamentum factum ab ea quæ testamenti factionem non haberet. q) Cur Turpilia testamenti factionem non habuerit, non additur, unde verosimile, ideo, quod fæmina fuerit. Neque enim puto casum istum explicandum esse in omnibus circumstantiis ex

E 2

Topi-

36 SENSUS LEGIS DECEMVIRALIS

Topicis Ciceronis, r) ubi Cicero bonorum possessionem ait non dari ex testamento fæminæ, quæ capite minuta non sit. Præterquam enim quod istud sit satis obscurum fæmina capite non minuta, s) Cicero uti alias Juris civilis non erat ubique gñarissimus, ita vel ex allegata Epistola appetat, quod de proposito casu jus ignoraverit.

p) Livius lib. 39. c. 8. & 9. memorat rem contigisse Sp. Posthumio Albino & Q. Marcio Philippo Consulibus, i. e. secundum fastos Consulares A. Contii anno 567.

q) Cicero l. 7. Ep. 21. ad Trebatium. Cum ei (Silio) dicerem, tibi (Trebatio) videri sponsonem illam nos sine periculo facere posse (si honorum Turpilia possessionem capio, quam Prator ex Edicto suo mibi dedit) negare ajebat Servium, tabulas testamenti esse eas quas instituerat u, qui factiōnēm testamenti non habuerit.

r) Cic. Topic. c. 4.

s) vid. modo not. lit. n.

§. XLVIII.

Est præterea notabile quod legitur in epitome Harmenopuli. a) Occulto (i. e. scripto) testamento non acquisitur, nisi id propria subscriptione vallaret testator. Ac ideo nec mulieres nec illiterati testari possunt. Ad quem locum Scholiastes notat, quod illa lex videatur vetustum morem sequi, quo mulieri non fuerit permisum, literis ac instrumentis subscribere, & quas vellent tabulas subscriptionibus suis firmare. Colligit ex hoc loco Emundus Merilius b) mulieres saltem testamenta nuncupativa facere potuisse, non scripta, idque adhuc Papiniani tempore fuisse in usu, idque apparere ex casu ab ipsomet proposito. Scripsérat pater in testamento: c) Mando filia mea pro salute ipsius sollicitus, ut quoad liberos tollat, testamentum non faciat; ita enim poterit sine periculo vivere. Nam alias nullum

TESTAMENTARIE.

37

Ium sensum esse cur periculum subierit, si testari licuerit
in scriptis. Observatio curiosa & erudita, sed quæ tamen
ulterioremeditationem requirit.

a) lib. 5. tit. 1. §. 32.

b) lib. 2. obs. 1.

c) I. cum pater 77. §. mando de leg. 2. ad quam vide omnino Cu-
jac. in Papiniano.

§. XLIX.

De filiofamilias non multa sunt addenda, nisi quod
faciat exceptionem à regula. Diximus eos qui in Comitiis
comparuerunt, aut qui testes esse potuerunt in testa-
mento habuisse quoque testamenti factionem, & contra
non comparentes in comitiis & intestabilles testamenta fa-
cere non potuisse (unde qua de servo, peregrino, Latino
dedidirio supra t.) in materia testium dicta sunt, hic in capite de testamenti factione sunt repetenda.) Sed filiusfa-
milias comparebat in Comitiis, testis esse poterat in testa-
mento alieno, quia in publicis negotiis (quale etiam est
testamentum ratione originis primæ in calatis comitiis)
habetur pro Patrefamilias. Interim non poterat testa-
mentum facere quia nihil habebat proprii, ut Ulpianus
loquitur, neque enim tum distinctio peculiorum obtine-
bat, sed ea est foetus subsequentium temporum. Ergo,
quod notandum, in filiofamilias est magis impedimentum
facti quam impedimentum juris. tt) Et hinc quia nec in
calatiis Comitiis ob eandem causam testamentum faciebat,
dixerant Decemviri in lege: Paterfamilias &c.

t) supra §. 16.

tt) conf. paulo post §. 53.

§. L.

Pergeremus ad heredes, nisi videremus à quibus-
dam adhuc dubium moveri, an omnibus patribusfamilias

E 3

licu-

SENSUS LEGIS DECEMVIRALIS

38 licuerit testamentum facere. Sunt enim qui id saltem de nobilioribus intelligunt, & plebejos excludunt; docentes videlicet, quod apud Romanos olim ingenui non dicti fuerint omnes cives, sed illi saltem quibus ex proprio sanguine vivere licuerit, uno verbo nobiles, i. e. senatores vel patricii, tanquam qui soli legum conditores fuerint, & jus suffragiorum in Comitiis habuerint, cum plebs videlicet post multa temporum intervalla & varias seditiones demum aliquam autoritatem legum condendarum acceperit. Hinc ergo etiam esse, ut jura testamentorum, patriæ potestatis, agnationis &c. quæ olim ad solos nobiles pertinuerint, postmodum perabusum ad quosvis ex plebe indistinctè fuerint extensa. Sed quemadmodum ista sententia plane particularis est, ita non opus est ut prolixè ad eam respondeamus, cum antiquitates Romanæ historiæ evidenter contrarium cuicunque vel supinissime eas legenti persuadeant, & haud dubie etiam dissentientibus persuasuræ sint, modo legere voluerint.

" vid. Dion. Halic. l. 2. c. 13. p. 85. l. 4. cap. 24. 25. p. 218. seq. l. 6.

c. 58. p. 376. lib. 7. c. 52. p. 442. Addantur vel saltem libritres

Livii priores.

§. LI.

Vidimus hactenus latissimam potestatem, quam Gajus per legem Decemviralem dicit datam esse iis qui testamenta facere volunt, non intelligendam esse intuitu solennitatum & testium, neque intuitu testatorum; jam vindendum an forte ea assertio respiciat personas quibus in testamento quid relinqui potest. Ita videretur quidem, si hodierna tempora respicias, ubi muti, surdi, prodigi, furiosi, feminæ, servi, peregrini institui possunt heredes. Sed ex moribus vel hodiernis vel etiam juris Justinianei non estimanda est dispositio legis XII. Tabularum. Circa hujus

hujus intellectum J Cti Romani habebant eandem regulam, qua in primo & secundo capite exponendo usi sumus: Heredes esse possunt, cum quibus est testamenti factio, vel qui testamenti factionem cum testatore habent. *x)* Atque vel hic locus evidentissime indicat, quod non possit testamenti factio aliqua passiva intelligi, ut vulgo ea fuit efficta, quia alias esset mera tautologia, heredes institui possunt, qui possunt heredes institui. Ergo necesse est, ut & hic sensus sit: Heredes possunt esse qui habent jus Comitiorū & possunt ex illa ratione testamenta facere ac testes esse in testamento. *y)*

x) Ulpianus tit. 22, §. 1.

y) vide supra §. 13.

§. LII.

Hoc verò si admittas, non potuerunt jure XII. Tabb. heredes esse peregrini, servi, impuberis, muti, surdi, furiosi, prodigi, intestabiles, faminae; filius familias tamen potuit, quia habebat jus Comitiorum & à testamenti factione saltem excludebatur, quod nihil proprii haberet, de quo disponeret, sed donari tamen ipsi quid poterat, ergo non obstat illa ratio quo minus heres institui posset. Pocuit & cælebs illo tempore, nam lex Julia nondum prohibuerat. *z)*

z) Ulpianus tit. 22. §. 2.3.

§. LIII.

Cæterum si testimonia illius assertionis conqueriras, de peregrinis quidem, & qui his similes sunt, dediditiis, Latinis regulam declarat Ulpianus, *a)* de reliquis nihil, imo de servis planè contrarium dicit. *b)* Sed id non mirandum, cum in institutionibus illis Ulpianus quidem plerumque respiciat ad testamenta quæ adhuc fiebant per aes & libram, non tamen explicit sensum legis Decemviralis, sed subinde respiciat usum suorum temporum. Ergo cum in

in scriptoribus antiquitatum Romanarum parum vel nihil deprehendamus, quæ assertionem nostram illustrent, & occasiones mutationum doceant, conjecturis hic erit opus.

a) d. t. 22. §. 23.

b) ibid. §. 7. seq.

§. LIV.

Ostendunt vero hactenus dicta, eos qui in Comitiis non comparebant & propterea nec testamentum condere nec testes in testamento esse poterant, fuisse duplicitis generis. Quidam prohibebantur in Comitiis comparere, alii non prohibebantur quidem sed impediebantur, quo minus jus suum exercere possent. Prohibebantur, qui non essent cives nec patresfamilias, aut qui in poenam expresse jubebantur. Impediebantur qui cives essent & patresfamilias & nihil deliquerant, sed nihil agere poterant in Comitiis, ut impuberes, surdi, muti, furiosi. Posset & duplicita impedimenta facere, alii jure impediebantur ut priores, alii facto ut posteriores. Qui solo facto impediebantur, hi omnium primi videntur admissi ut possent fieri heredes, ne calamitas aut imperfectio physica illis noceret in acquirendo solatio. Igitur et si initio introducti testamenti per as & libram, ubi secundum superioris e) tradita, adhuc emtor familiae heres esse solebat, impubes, mutus, surdus, furiosus heredes non potuerint esse, quia scilicet evidenter non poterant esse familiae emtores, mox tamen, ubi coepit est plane aliud heredem instituere quam familiae emtorem, intuitu horum ab illo rigore recessum fuisse non est improbabile. De prodigo idem dicendum, cum supra d. jam monstratum fuerit, eum ipsa legge decemvirali furioso æquiparatum esse. Neq; enim produ-

TESTAMENTARÆ.

4^o

galitas crimen est, sed vitium, neque interdictio bonorum
poena, sed impedimentum.

c) *Supra* §. 29.30.

d) *Supra* §. 43.44.

§. LV.

Alia ratio fuit illorum, qui jure impediti sunt, ne
in Comitiis comparerent, scil. peregrinorum, servorum,
intestabilium, fæminarum utpote cum horum tantus fa-
vor non esset. Sed cum tamen constet, jure Justinianeo
solos peregrinos & intestabiles non admissos esse ad hære-
ditates, fæminas verò & servos potuisse heredes institui, de
his adhuc pauca dicenda. Servi quidem cum heredes in-
stituti sunt, considerandi sunt non intuitu proprii corpo-
ris, quod pro persona in jure non habetur, sed quatenus
sunt instrumenta dominorum, quia per ejusmodi institu-
tionem domini heredes sunt non servi. Igitur putatum
fuit, sufficere quod cum domino sit testamenti factio et si
nulla sit cum servo. e) Accedit, quod eadem hic videa-
tur ratio subsuisse quæ in instituto filiosfamilias, præprimis
quia tempore legis Decemviralis patria potestas in liberos
adhuc æquabat, si non superabat, potestatem in servos.
Sed fortè mirum alicui videri posset qui factum fuerit, ut
servi alieni heredes instituerentur, cum hæc institutio vi-
deatur hominum parum sanæ mentis. Vel enim testator
fayet servo; at servus non acquirit, sed dominus; vel do-
mino, cur non dominum ipsum instituit? Imo incertum
est an dominus quem servus tempore testamenti facti ha-
bet, heres futurus sit, etiamsi vivat tempore adeunda he-
reditatis & velit heres esse, v. gr. si servum interea vendi-
derit. &c. Sed commune vitium est, quod nostrum in-
tellectum in doctrina hac juris Romani corrumptit, quod

F

imagi-

imaginemur servos Romanos ad instar nostrorum rusticorum & vilissimorum mancipiorum liberorum (liceat enim sic intuitu rei ipsius loqui.) Servi Romani planè alterius conditionis erant. f) Adeoque qui ejusmodi servos habebant, qui gratiam aliorum liberorum hominum venari didicerant, iis non solebant domini lucra, quæ ipsi afferebant, omnia auferre, multa ipsis relinquebant, etiam ut genio suo quid indulgere & lauti vivere possent. Imo multa officia servorum apud Romanos aequalabant officia aulica, majora etiam, multorum Principum hodiernorum. Ergo si quis talem servum institueret, revera etiam lucrabatur servus, et si non fieret hereditatis dominus. Sed tamen tardius videntur servi apud Romanos heredes instituti, quia, ut talis meditatio hominem, sanæ mentis impulerit ad servos instituendos, jam magnæ dvitiae & luxus supponi debent, quæ temporibus illis Decemviralibus adhuc exultabant.

e) Pertinet hoc elegans textus Pauli 1. 52. d. hered. instit. Ser
vus hereditarius heres instituti potest, si modo testamenti factio fuit
cum defuncto, licet cum herede instituto non sit. Quæ assertio vera
est, sive Paulus per heredem institutum intellexerit ipsum ser-
vum; sive heredem à defuncto institutum.

f) Confer. Dn. Präsid. quest. 6. ad dissertat. de rat. stat. §. 5.
scqq.

§.LVI.

Quod fœminas concernit, nemini durum videri debet, quod dixerimus, eas tempore legis Decemviralis fuisse exclusas, ut nec heredes institui potuerint. Nam illis temporibus in genere fœminarum in acquirendo & jure successionum non dicam deterior sed non ita favorabilior erat conditio, ut temporibus subsequentibus. Etenim, etiam

etiam ab intestato non admittebantur nisi filiae & sorores
falem consanguineæ, non ultra, etiam agnatae essent. g)
Igitur nec mirandum, quod illæ fæminæ quæ ex legibus
non succederent, non etiam admitterentur ad hereditates
testamentarias.

g) Facit hic maxime textus Pauli recept. sent. lib. 4. tit. 8. §. 3.
varias interpretationes nactus. Ego sic intelligo: *Femina ad
hereditates legitimas post filias ultra consanguineas successio-
nes, fratum, quorum sorores consanguineæ dicuntur, non
admittuntur idque vel jure civili i. e. disputationis fori anti-
quæ vel Voconia certè narratione (vel ut alii malunt *rogatio-
ne*) videtur effectum. Nam lex XII. Tabb. ipsa, si ejus verba
species nulla discretione sexus cognatoris admittit. Sunt equidem
qui putant, Paulum voluisse, quod solæ sorores isto jure suc-
cessint admissæ, & præter eas ne filiae quidem (vid. Hillig. ad
Donell. lib. 9. c. 2. lit. b. qui plures autores hue facientes ci-
tat.) submixi potissimum lege Voconia. Sed ista discutere hu-
jus loci non est. Adeo etiam Ulpianum tit. 26. §. 6.*

§. LVII.

Restat ut perlustremus, quinam actus concessi fue-
rint lege XII. Tabb. Sed hic brevioribus nobis esse licebit,
cum ipse Pomponius declareret, legandi voce in lege De-
cimvirali comprehendendi & heredis institutionem, & legato-
rum ac libertatis dationem, & constitutionem tutelarum
h) adeoque hic non in stricta significatione sumi prout a-
llias legare opponitur heredum dationi. Atque in his a-
ctibus consistit illa latissima potestas, de qua Pomponius lo-
quitur, quam hactenus in prioribus tribus capitibus inve-
nire non potuimus.

h) L. 120. de Verbi Sign. Conf. Rittershus. ad LL. XII. Tabb. p. 101.
Francif. Balduin. ibid. c. 29. p. 110. seq. quos etiam confer ad
§§. seqq.

Poterat enim heres institui quicunque cum quo testamenti factio esset, ut jam supra diximus, etiam alias quam familiae emitor; poterant institui quotcunque, poterant in institutione partes assignari, quascunque testator voluerit, poterat heredis institutio fieri quocunque modo, pure vel sub conditione, etiam tribus verbis, modo fieret verbis directis. Unde recte quidem institui poterat his verbis. *Titius heres esto, heres sit, Titum heredem esse jubeo.* Illa vero institutio heredem instituo, heredem facio plerisque improbabatur.ⁱ⁾ Sed hanc subtilitatem postea abrogavit Constantinus^{l)} nec adeo male, cum maxima & inutili subtilitate opus sit ad secernenda verba directa à precariis. Unde si quis nulla legata vel exhereditationes scribere tum volebat, poterat totum testamentum quinque vel etiam tribus verbis absolviri,^{m)} quod jam quidem notandum paucis contrà verbositatem fultam testamentorum sequiorum temporum.

ⁱ⁾ Ulpianus tit. 21.

^{l)} l. 15. c. 4. testam.

^{m)} vide omnino Ulpianum l. 1. §. 3. de hered. instit. conf. Del. Herald. Rev. quotid. cap. ult. §. 10. & obs. lib. 7. cap. 7. §. 11. 12.

§. LIX.

Ceterum uti Codicilli tum non erant in usu, ita ex lege Decemvirali est quod heredis institutio esset de forma testamenti, utpote cum heredem sustineret initio, postea vero representaret saltem emitor familiae, & adeo testamentum in quo non esset heredis institutio, prouulo haberetur. Quin imo & in eo consistebat laxa illa potestas testandi, quod lege Decemvirali etiam liceret sub-

TESTAMENTARIE.

45

substituere, vulgariter nimirum, nam pupillaris substitutio
mōribus originem debet. n) Cæterum uti ipsa prima in-
stitutio & testamenti factio falso quoad originem Juri
Gentium & naturali adscribitur, ita multo magis idem de
substitutione notandum, et si nec desint DD. qui & hanc ex
Jure Gentium deducant. o)

n) Ulpianus l. 2. pr. de V & P. S. Huberus disput. fundam. 58. lib. 7.
Paul. Voct. ad Inst. de pup. subſt. n. 3.

o) Gomes ad l. 3. Taur. Connan. 10. comm. 7. Gregor. Tholosan.
Syntagma. jur. lib. 42. cap. 10. Voct. ad tit. de Vulg. subſt.
num. 1.

§. LX.

Imo sub heredis institutione etiam comprehenditur exhereditatio filiis familias, et si Solon hoc non permitteret, propter patriam potestatem Romanorum. Quidni enim potuissent exheredari qui occidi potuerunt. p) Imo eti nee potuissent occidi, tamen nulla subest in hac po-
testate iniquitas; neque enim tum error iste invaluerat q)
ac si legitima juris naturalis esset. Ulterioris lege XII. Ta-
bularum præterire licuit, ita ut præteritio instar exha-
reditationis esset, nisi forte testator filium vivere non puta-
ret. r)

p) l. 11. de lib. & posth.

q) de quo latius actum in Disput. de legitima viventi dirigente
Du. Præside habita.

r) Baldinus d. l. pag. 119. conf. Hotomanus lib. 3. antiquitat.
pag. 438.

§. LXI.

Non tametsi ex illa latissima potestate heredis insti-
tuendi, quam jus decemvirale dedit, inferre licet, etiam

F 3

post-

posthumum alienam licuisse instituere, prout nempe statim ab initio lex Decemviralis fuit explicata à JCtis. Etsi enim videam ea de re à viris eruditis disputari, s) maneo tamen in regula supra tradita. Heredes institui possunt cum quibus est testamenti factio. At cum postumo alieno non est, quia non potest familie emitor esse nec comparere in comitiis, utpote qui planè nondum existit.

s) Bald. & Hotom. ad. II,

§. LXII.

Sed urges. Ita nec posthumus suus institui potuisset. Imo vero, inquam, regula illa respicit solum heredes testamentarios, qui non erant heredes legitimi. Cum enim regulariter qui testamentum facere vult, alios quam legitimos velit instituere, respectu horum danda fuit regula, non respectu legitimorum, in quibus multi esse poterant, qui non comparerent in comitiis, ut fæminæ, impuberes, furiosi, muti, surdi &c Ergo regulæ supra traditæ: non possunt heredes fieri lege decemvirali qui non comparendi jus habent in comitiis, addenda erit hæc limitatio generalis, nisi sint heredes ab intestato.

§. LXIII.

Legata strictè dicta quod concernit, eodem modo intelligenda potestas latissima, quo heredis institutionis. Ut enim non legare potuit, qui non comparuerunt in Comitiis, ita nec iis legari potuit primis temporibus qui non comparuerunt, nec jure novo potest iis, qui non sunt ci-
ves. Unde fideicomissa postea primam suam originem acceperunt; interim legari potuit indefinire maxima etiam pars hereditatis imo tota & plus quam in hereditate esset,

esset, donec postea hæc licentia legibus restringeretur.^{t)}
De libertatis & tutelæ datione quod peculiariter moneamus non est. Videantur Commentatores ad Leges XII.
Tabularum & sæpius citatam Pomponii legem.

t) Balduin, d. l. p. 121. 122. Alexand. l. 6. c. 10. in fine
p. m. 549.

§. LXIV.

Tantum ergo abest, ut primitis temporibus testamentariæ successionis, favorem magnum habuerit potestas testamenta faciendi, ut potius ab initio interpretatione JCTorum & ratione solennitatum & ratione testatoris & ratione heredum valde fuerit coarctata; ut adeo forte dictum Pomponii inverti queat, dum asserit, potestatem lege Decemvirali indultam fuisse postea variè restrictam. Sed ea de re viderint, qui mutationem subsequentium temporum cum lege Decemvirali velint conferre. Id jam adhuc solum observo, etiam respectu ipsorum actuum, primævam interpretationem legis, potestatem testandi limitasse, ut de omnibus & universis bonis testamentum fiat, cum videlicet testamenta ideo solerent fieri, quod quis nollet heredes legitimos sibi succedere. Fecerant exinde JCTi primitis temporibus regulam, quæ per infinitos juris articulos se diffundit, non deberi alicui succedi partim ex testamento, partim ab intestato. Quam postea ita amarunt eique sic adhæserunt, ut multis casus subinde subtiliter magis desiniverint quam ex regulis bona interpretationis. Quo & illud pertinet, quod intuitu regulæ ipsius dicit Pomponius. u) Naturaliter inter se pugnam esse testatum & intestatum. Dura locutio & dialectica magis quam moralis.

48

SENSUS LEGIS DECEMVIRALIS

ralis. Sunt quidem termini contradiclorii testatus & in-
testatus, sed non sunt naturaliter vel civiliter opposita-,
alias non posset locum habere utraque successio in
testamento militis.

" 1.7. de R. J. ibique Wittenb. Herald, rer. quotid. c.
ult. §. 15.

Tantum!



Halle Diss. 1705
(T-Z)



56



DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS,
B. C. D.
DE

SENSU LEGIS DECEMVIRALIS TESTAMENTARIÆ,

Quam
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSÆ, MARCHIONE BRANDENBUR-
GICO, AC DUCATUS MAGDEBURGICI GUBERNA-
TORE, &c. &c.

IN HAC REGIA FRIDERICIANA,
PRAESIDE
Dn. CHRISTIANO THOMASIO,
JCTO, S. REG. MAJ. BORUSS. CONSIL. ET PROF.
PUBL. h. t. DECANO,
PRO LICENTIA

Suimmos in utroque Jure honores ac Privi-
legia Doctoralia rite capessendi,

IN AUDITORIO MAIORI

publicæ Eruditorum Examini submittit

LUDOV. CHRISTOPH. SCHEFFER,

Cassellanus Hassius.

Ad d. V. Sept. An. M DCC V. Horis ante 6^o pomeridianis.

HALÆ, Typis CHRISTOPH. ANDREÆ ZEITLERI, Acad. Typogr.

1705 24 17.
221
9357